

cedit tantum in re dubia. Sed cave ne hanc opinionem S. Alphonsi, contra ejus mentem, applices casibus plerisque, in quibus de peccato patrato mera probabilitas habeatur.

3º Si sacerdos peccatum poenitentis novit ex alterius confessione, puta complicis, potest tantum generatim interrogare, ne sit periculum revelationis, vel ad summum speciatim interrogare de eodem peccato si ex iis est quae communiter a talibus personis committuntur, ex. gr. tactus in honesti inter sponsos. Neque tunc expedit petere licentiam a complice, aut sponte oblata uti ad alterum arguendum. Quodsi iste tacet vel negat, locus est eidem controversiae de qua in praecedenti hypothesi dictum est : eaedem enim sunt rationes. Attamen si quis sequitur S. Alph. sententiam, debet omnino occultare denegationem absolutionis ne prodatur sigillum sacramentale, ideoque pro absolutione quasdam preces recitet.

§ 4. DE ABSOLUTIONE DANDA, NEGANDA VEL DIFFERENDA.

Punctum I. Regulae generales.

366. I. Confessarius sub gravi tenetur ad absolutionem concedendam ei qui legitime confessus est et rite **dispositus** **apparet**.

Etenim etiam ille sacerdos qui nulla obligatione adstringitur ad confessionem audiendam, injuriam faceret poenitenti si ei, post confessionem rite peractam, absolutionem denegaret : ubi enim eum ad confitendum admisit, quasi-contractum cum eo inivit ut, si poenitens partes suas expleat, confessarius quoque potestatem suam absolvendi in ejus favorem exerceat. Attamen ubi poenitens qui sine difficultate posset peccatum determinatum accusare confessionem mere genericam institeret, neque potenti confessario distinctiorem accusationem facere vellet, non teneretur confessarius ad eum absolvendum : confessarius enim ubi ei aures praebuit non intendit se obligare ad eum absolvendum nisi is, pro more communiter recepto, accusationem distinctam fecerit, quamvis ei, si velit, absolutionem impertire possit. (n. 262)

Hinc tamen non sequitur absolutionem semper dandam esse statim cuilibet poenitenti disposito, qui in ejus dilationem consentire noluerit. Nam, licet poenitens habeat jus ad absolutionem ratione confessionis institutae, non habet semper jus ut statim absolvatur. Quandoque enim rationabiliter judicare potest confessarius brevem absolutionis dilationem animae poenitentis profutaram esse, vid. ut salutari terrore concussus, melius agnoscat gravitatem peccati et necessitatem emendationis. (Lugo, disp. 14. n. 169; S. Alph. n. 462) At si deesset haec ratio

spiritualis utilitatis pro poenitente, injuste ageret confessarius qui absolutionem pro mero arbitrio differret.

II. Confessarius sub gravi tenetur ad absolutionem denegandam iis qui certo carent **dispositionibus requisitis**, " quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere et vitam in melius emendare nolunt. " (Rit. Rom. tit. III. c. 1. n. 22)

Attamen perperam agit confessarius qui poenitentem, statim atque imparatum ad absolutionem esse agnovit, recedere jubet. Nam ex officio medici spiritualis quo fungitur, tenetur poenitentes diligenter adjuvare ut ad debitas dispositiones perducantur. (S. Alph. n. 608) Quare de confessario qui poenitentes imparatos disponere neglegit, acute Leo XII (Cons. Caritate Christi, 25 Dec. 1825) : " Quod si praestare praetermittat, inquit, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum quam ceteri ad confitendum accedere. "

367. III. Potior difficultas est in casu sane frequenti quo confessarius, etiam post diligentis conatus, **dubius haeret** num poenitens habeat dispositiones ad absolutionem requisitas. Ita distinguendum censemus :

1º Si dubium est **negativum**, seu si nulla probabilis ratio suppetit existimandi poenitentem rite dispositum esse, non potest regulariter absolutio dari antequam dubium istud solutum fuerit, ac proinde saltem differenda erit donec per inchoatam emendationem, per studium redeundi ad confessionem, etc., satis constet adesse quae requiruntur. Ratio est : imprudenter agere ministrum qui, nulla probabili ratione ductus, sacramentum nullitat, poenitentem damno spirituali exponat. Attamen absolutio sub condicione danda est etiam hujusmodi dubie disposito, quotiens dilatio eum periculo gravis damni exponit ; puta si poenitens diu caritatus est copia confessarii, si prudenter timetur ne poenitens jam non redeat ad confitendum et in peccatis suis tabescat (S. Alph. n. 432), si matrimonium suscepturus est, etc. Nam manifestum est ita provideri, quam optime fieri potest, poenitentis saluti ; neque irreverentia sacramento irrogatur, ut dictum est n. 116.

2º Si **probabile** est poenitentem esse dispositum, quamvis ex altera parte ratio detur ob quam de ejus dispositionibus prudenter dubitetur, prorsus opinamur absolutionem a confessario concedi posse. Quandoque tamen eam differre licebit, nempe si hujusmodi dilatio existimatur poenitentis animae profutura.

Ratio est : nihil amplius a confessario exigi quam ut prudenter, et

absque temeritate sacramentum administret. Jamvero, cum hic agatur de cognoscendis dispositionibus internis, iisque rite determinatis, plerumque nihil nisi probabilitas haberi potest. Probe enim advertendum est non sufficere ad sacramenti fructum vagam quamdam bonam voluntatem (de qua facilius constaret), sed detestationem peccati super omnia ac propositum firmum et efficax. Dummodo igitur rationes vere solidae habeantur existimandi poenitentem esse saltem attritum, prudenter aget qui absolutionem impertiet. Immo, sacerdos qui a Christo constitutus est ad spiritualem medicinam omnibus peccato, infectis ministrandam, imprudenter ageret si a poenitentibus requireret dispositiones moraliter certas, antequam eis absolutionis remedium conferret. Nam, si seponis fideles pios qui in mortalia labi non solent, ii pro quibus primario hoc sacramentum institutum est, nempe peccato mortali foedati, raro eas afferunt dispositiones quae cum morali certitudine probent eorum contritionem et propositum gaudere omnibus dotibus requisitis. Quare efficacia hujus remedii universalis a Christo instituti irrationabiliter coartaretur ab eo qui tantum moraliter certo dispositos absolvere vellet. (Faure, Dubitat. Theol. dub. I.; Buccer. Th. Mor. de Poenit. n. 161) Ideo praestantissimi Theologi, S. Alphonso antiquiores, nihil aliud postulant, ut poenitens absolves queat, quam judicium prudens seu probabile de ejus recta dispositione. Ita Suarez (disp. 32. sect. 2) : "Ex quo fit, priusquam absolvat, necesse esse ut prudenter et probabiliter judicet poenitentem esse depositum : quia alias se exponeret periculo errandi, et sine sufficienti cognitione operaretur."

Frusta autem quidam recentiores (Berardi, de recid. et occas. t. I. p. 14) conantur hanc communem antiquorum Theologorum doctrinam restringere ad casum quo de dispositionibus poenitentis habetur probabilitas, cui nihil in contrarium obstet, et quae reapse in hujusmodi materia aequivaleat morali certitudini. Id manifeste appareat e communi sententia DD. supra (n. 365) relata de poenitente negante peccatum quod confessarius ex aliorum testimonio novit : qui casus prorsus aequiparandus est, et a Theol. (ex. gr. Sporer, Theol. Sacram. p. 3. n. 801) reapse aequiparatur cum eo in quo nunc versamur. Diserte etiam hanc interpretationem excludit Lugo (disp. 22. n. 49) : "Difficultas est quando sunt motiva ad praesumendum ejus (i. e. contritionis) defectum, v. gr. quod saepius admonitus poenitens non restituit cum posset, vel non reliquit occasionem proximam peccati, quam poterat relinquere. Tunc autem erit optimum consilium et aliquando necessarium differre absolutionem, donec restitutio prius fiat vel occasio relinquatur, si fieri potest." Cfr. etiam disp. 16. n. 434. Hinc manifestum est, e sententia Card. de Lugo, regulariter motivum ob quod de dispositionibus debitibus dubitetur, non obstare quominus absolutio-

conferri possit, eamque differendam esse tantum quando e crebra reincidentia arguatur manifeste defectus propositi requisiti. Neque aliam doctrinam videtur referre Catech. Rom. : "Si, audita confessione, judicaverit (confessarius) neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem omnino defuisse, absolves poterit." Is igitur cui non omnino videatur deesse contrito, absolves potest : quod longe aliud est ac dicere absolves posse eum solum de ejus contritione confessarius moraliter certus sit.

Neque obstat prop. 1^a ab Innoc. XI damnata : "Nou est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, reicta tutiore, nisi id vetet lex aut conventio aut periculum gravis damni incurriendi." Nam securitas quae de valore sacramenti habenda est, intellegenda est pro subjecta materia. Hic autem, cum non agatur de objecto quodam exterioribus sensibus perceptibili, sed de dispositionibus animae a quibus semper pendet sacramenti poenitentiae valor, solida probabilitas sola exigi potest, ni velimus sacerdotem perpetuis anxietatibus exponere aut sacramentum paucissimis reservare.

Quare deserendam censemus sententiam quam S. Alph. (n. 459) tuetur et plurimi recentiores ab eo mutuati sunt : requiri moralem certitudinem de poenitentis dispositionibus. Ceterum, ubi S. Doctor sententiam suam explicat, saepe videtur mera probabilitate contentus, ac proinde practicum discrimen inter ejus nostramque sententiam multo minus est quam prima fronte videri possit. Sic admittit confessarium absolvere posse poenitentem qui, saepe in eadem peccata relapsus, majorem dolorem patet per lacrymas, suspiria aut cordialia verba, vel omnino sponte accedit ad confitendum, nullo pracepto vel usu impulsus (n. 460), immo etiam illum qui negat peccatum quod sub oculis confessarii commisit, modo adsit prudens dubium an istud jam alteri fuerit confessus. (n. 631) In his tamen aliisque casibus quos recenset n. 460, verius existimamus adesse probabilitatem tum pro bonis dispositionibus poenitentis, tum contra easdem.

368. IV. Judicium probabile de dispositionibus poenitentis unusquisque confessarius, naturali prudentia et divino lumine implorato, efformare debet. Quo securius autem procedat juvabunt sequentes regulae :

1^o Primarium signum quo dispositiones poenitentis agnoscantur, est ipsius in confessione testimonium. Vid. ut docet Suar. (disp. 33. sect. 2) et merito testatur esse omnium qui eum praecesserunt, auctorum sententiam : "Si poenitens in ipso modo confessionis et accusationis sua praebet signa doloris, vel certe si est homo non valde rudis et apparel moratus, nullam diligentiam in hoc tenetur confessor adhibere, bene

tamen semper faciet proponendo et consulendo detestationem peccati : et quando non habet sufficientia signa doloris, potest et debet interrogare poenitentem an ex animo detestetur peccatum, cui affirmanti credere tenetur. Et hoc idem dicendum de proposito in futurum, quando ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi, vel relinquendi aliquam occasionem proximam peccandi, sed solum communis et generalis obligatio non peccandi de cetero. „ Cfr. verba S. Th. cit. supra n. 365. (1) Haec tamen minime intellegimus, ut quidam severioris sententiae AA. ridicule objiciunt, quasi confessario prudenter credendum sit quidquid poenitens ore tantum proferat, quamvis manifestum sit eum longe aliter sentire. Nam nullatenus opinamur sufficere ut confessarius a maxime rudibus et induratis peccatoribus, qui a multis annis sine ulla emendatione eodem modo confitentur, petat tantum num dolorem et propositum habeant et aientes absolvat. Omnino existimamus necessarium esse ut hujusmodi poenitentes diligenter ad contritionem excitentur, de neglegentia praeterita graviter admoneantur, certiores fiant eos qui sine dolore et proposito confiteantur, non solum peccatorum venia carere, sed immuni saerilegio foedari, etc. Quae conamina si adhibita fuerint, *plerumque* confessarius prudenter credere poterit poenitenti affirmanti se dolere et proponere sicut oportet. Quare immerito sententia nostra similis dicitur prop. 60^{ae} ab Innoc. XI damnatae : “ Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturae aut Ecclesiae, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec diffe-

(1) Hoc testimonium S. Thomae conatur restringere P. Van Rossum (Comment. de judicio sacrum. p. 48) ad fidem generatim dandam poenitentibus quantum ad confessionem factorum, excluso judicio formando de dispositione confitentium. Verum hujus restrictionis nullum est vestigium in hoc S. Doctoris loco : licet enim directe ibi agat S. Thomas de confessione factorum, rationem suam desumit e principio quod modo illimitato profertur ac proinde arbitrarie restringitur. Deinde quo fundamento nititur ista distinctio ? Nonne accusatio sincera peccatorum recensetur inter dispositiones poenitentium ita ut ob voluntariam peccati gravis reticentiam deneganda sit absolutio aequa atque ob defectum contritionis vel propositi ? Ceterum si de mente Angelici Doctoris dubitaretur, consultatur fidus ejus interpres Suarez cuius textum (disp. 33. Sect. 2) hic allegavimus : diserte enim dicit confessarium ubi de dolore sufficient dubitat debere interrogare poenitentem et affirmanti eredere, idemque, saltem regulariter, faciendum esse de proposito in futurum. Unde satis mirari non possumus quomodo idem textus Suarezii a P. Van Rossum (l. c.) allegetur ad contrarium probandum. Forsan respondebit el. Auctor id tantum a se intendi : posse elidi hoc testimonium poenitentis contrariis probationibus, vel ultimo loco judicum de dispositionibus poenitentis formandum esse ab ipso confessario cum elementis a poenitente subministratis. Utrumque libenter dabimus, sed tunc jam non perspicimus quomodo inde sequatur nullatenus fidem dandam esse poenitentibus de judicio formando quantum ad eorum dispositionem.

renda absolutio : *dummodo ore proferat* se dolere et proponere emendationem. „

2º Non eadem facilitate formari poterit judicium probabile in omnibus locis et temporibus vel cum omni poenitentium classe. Multo securius credi poterit poenitenti ubi communiter homines graviter et sincere agere et loqui solent, quam ubi ad levitatem et fictionem valde propensi sunt. Sic etiam ubi pauci ad confitendum accedunt ita ut poenitens respectum humanum vincere debuerit, majorem fidem meretur, licet multa indicia contraria videantur, quam ubi omnes ad sacramenta accedere solent et atro signo notarentur si abstinerent.

3º Ut supra (n. 281) satis de dotibus in proposito requisitis explicatum est, non obstat bonis dispositionibus poenitentis relapsus quem ipse vel confessarius cum morali certitudine praevideat. Optime Lugo, (disp. 14. n. 166) : “ In quo puncto doctrina communis et vera est, si sacerdos hic et nunc, non obstante consuetudine praeterita, judicet poenitentem habere verum dolorem et propositum non peccandi, posse eum absolvere ; quia dispositio sufficiens est dolor et propositum praesens, non emendatio futura, atque ita poterit absolviri, licet judicetur relapsurus. ” Consonat omnino S. Th. (3. q. 84. a. 10. ad 4) : “ Ille est irrisor et non poenitens qui, simul dum poenitet, agit quod poenitet, vel proponit iterum se facturum quod gessit vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati. Quod autem aliquis postea peccat vel actu vel proposito, non excludit quin prima poenitentia vera fuerit : numquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem. ”

N. B. Regulae istae generales de quibuslibet peccatoribus procedunt, etiam de iis qui saepissime in eadem peccata reciderunt. Nihilominus, cum possit confessario incidere dubium quousque manere possit probabilis opinio de bonis recidivorum dispositionibus, distincta paragrapho de iidem agemus, Similiter seorsum dicemus de occasionariis qui non raro confessarium suspensum tenent.

Punctum II. De recidivis.

369. I. Recidivi de quorum efficaci proposito dubitari possit, ii tantum sunt qui a) crebro relabuntur post multas confessiones ; — b) in eadem, non autem alia quaelibet, gravia peccata ; — c) absque ulla, etiam inchoata, emendatione. Ita communiter et verius Theol. magni nominis S. Alphonso antiquiores, ex. gr. Lugo (disp. 14. n. 166) : “ Restat ut dicamus aliquid de illo ultimo capite cognoscendi defectum propositi efficacis, nempe ex frequenti reincidentia in eadem peccata post multas confessiones absque ulla emendatione. ” Nulla ergo est ratio specialis